

AD DIOSCURIDIS MUSIUUM

Quod uol. LXXIX 1930 p. 197 seqq. interpretati sumus Dioſcuridis musiuum, eam interpretationem magnopere adiuit inuento felici Bernardus Bischoff Philologi uol. LXXXVII 1932 p. 114 seqq., quod inuentum docta disputatione enarravit l. s. p. 117 seqq. Eduardus Fraenkel. Iam constat Cistellariam Plauti Synaristosas esse Graecam Menandri, quales scaena prima Plauti tres mulieres adesse in scaena, item in musiuo praesentes uidemus: quarta persona dimidiata in musiuo me iudice nonnisi persona secundaria, i. e. ancilla uel seruus esse potest, qui lenae ministret potanti¹⁾. Atque puer, qui dat bibere ab summo, cum plerumque memoretur, uel ministrator, propter uestitum muliebrem personae ministrantis in musiuo eunuchum l. s. s. uolui agnoscit. Quacum opinione licet conciliare, quod in Synaristosis 451 K. persona seruilis ministrantis uocatur $\eta\beta\delta\varphi\alpha\sigma\varsigma$: uocantur enim hoc modo androgyni, qua de contumelia sermonis disserebant Horatii interpretes ad serm. I 8, 39. Quod lapillorum ordines in figuram in musiuo ita mihi uisi sunt coire, ut uideatur cyathus et uno loco argenti modo albescere uel splendere, hoc et photographica effigie et Francisci Winter delineatione inspecta obseruare ego mihi uisus sum: qua siue coniectura siue obseruatio uocatur dum utor, cyathum tenere illum seruum audacter suspicatus sum l. s. s. p. 197 med. eo potissimum argumento fretus, quod lena dum perpotat magno poculo, non potuit illa carere ministratore neque ministrator cyatho. Sed ministrator et apud poetam et male dimidiatus apud pictorem, minoris est momenti persona ideoque dimidiatus in pictura. Summi uero momenti est Menandri in arte tessellaria auctoritas, cuius poetae ingenium etiam in anaglypho Neapolitano (l. s. s. p. 205) praesto esse conicias. Funiculus enim duplex, quem illic adulescens, qui est ad dextram, extollit in altum ut caput fabulae, nulli rei magis similis est, quam plocio: plocium autem et titulus et argumentum erat fabulae Menandri.

Bonnae.

Fridericus Marx.

¹⁾ Eodem modo de argumeto operis musiui iudicat W. M. Lindsay, item de Festinouis lectionibus (Cl. Quarterly XXVI 1932 p. 193). De eis quae P. Herrmannus scripsit (Philol. Wochenschr. LII 1932 p. 273) alii uiderint.